



Universitätsbibliothek Paderborn

Res Gestae Illvstrissimo-||rvm Martyrvm, Con-||fessorvm Atqve Sancta-||rvm Virginvm ...

Eorvm Praecipve, Qvae Per|| R. P. L. Surium sex Tomis compraehensae
sunt:|| et nunc restrictis verborum ambagibus ... ad ... D.|| Caesaris
Baronii Chronologiam|| digestae ac in quatuor Tomos distributae

Lippeloo, Zacharias

Coloniae, 1595

VD16 ZV 18288

S. Abrahæ Abbatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-43699](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-43699)

fama vbiq; diuulgata S. Martinus Papa prædicandi minus ei iniunxit, quò ad eò nauiter impleuit, vt magnus quotidie, ex diuersis partibus, ad eum concursus fieret. At ille cum cerneret populi frequentiam diuinæ lucis radios multum impedire, quò minus mentis eius domicilium penetrarent, haud ita procul ab eo loco recedens, solitariū sibi habitaculum delegit. In loco autem vbi fons Crispini in flumen influit templum principi Apollolorum sacrum condidit. Ibi verò non multò post leni febricula correptus fratres aduocauit, & in cinere ac cilicio iacens, astantibus, quos vnde qua que ad Christum adduxerat charissimis filijs, animam bonorum operum floribus redimitam, Christo reddidit. Discipuli venerabile corpus multis cum lachrymis, quas desiderium eius prouocabat, eodem in monasterio honorifice condiderunt: vbi eius meritis & intercessionē multis ac stupendis miraculis clarum requiescit.

VITA S. ABRAHAE ABBATIS EX EA
 quæ est per Gregorium Turonensem Episcopum Clari
 ruit circa annum Domini 460.

15. Iunij.
 Abrahæ pa-
 tria.

Mittitur in
 carcerem a
 paganis.

Abram super Euphratis fluij littus exortus, a puero pietatis operibus mirifice editus, adulta iam ætate Aegypti solitudines visitare constituit. Eò autem cum tenderet, a paganis comprehensus & multis, pro Christo, verberibus affectus, in vincula missus fuit in quibus annis admodum quinque, exultans, tandem ab Angelo libertati restitutus est. Inde Occidentalem pagam, religionis ergò, lustrare volens, Artuernòs ad-

uenit ubi ad Basilicam S. Cyrilli monasterium col-
locavit. Erat autem tantæ virtutis, ut dæmones fu-
garet, cæcis visum, & alijs quibusvis morbis op-
pressis, sanitatem restitueret. Cùm autem festiui-
tas supradictæ basilicæ aduenisset, iussit Præposi-
tum, populo qui solennitati intererat, cibum po-
tumque ministrare & vasa vino plena in atrio, ex
more, componere. Monachus ea re offensus: Quid,
inquit, vix nobis quatuor vini amphoræ superfunt
& unde quæso tantam populi multitudinem refi-
cerem? At ille: Aperite, inquit, mihi penum. Quo
aperto, ingressus est, & mox eleuatis cum insita pie-
tate ad cælum manibus, ac infusus fletu luminibus:
Domine Deus, inquit, ne deficiat, quæso de hoc va-
sculo vinum, donec cunctis ministretur in abun-
dantia. Quo dicto vinum ad eum redundauit, ut po-
pulo ex eo abundè promeretur, neque tamen vel
tantillum die altero minutum, inueniretur. Ex
hoc sancti viri virtus in populis declarata est. O-
biit autem in ipso monasterio plenus dierum ac
operum bonorum, ibidemque cùm honore sepul-
tus, requiescit: cuius laudes Sidonius tunc tempo-
ris antistes, eleganti Epitaphio prosecutus est. Ad
hunc autem beati Abrahamæ sepulchrum plerunque
frigoritici decubantes medicinæ cælestis præsidio
subleuantur.

Miraculis
claret.

Vinum præ-
cibus obti-
net.

MARTYRIVM SS. ET MAGNORVM
*Martyrum Quirici & Iulittæ, ex actis quæ Simeon
Metaphrastes fideliter conscripsit. Sumq; (teste Ba-
ronio) alia ab ijs quæ Gelasius Papa inter apocry-
pha numerat.*

Iulittæ